



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Iure patronatus. Consilium CCCCLXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

videtur quoddam Opponens si non ex priorē præsensatione, quam fecisse proponitur, qui in iure patronatus proximum gradum non obtinebat, non possit ius praeferre ad hanc Capellaniam, ob defectum iuris in præsente: aliud tamen indubitata consequutus videatur ex secunda præsensatione illius, qui seu quæ in iure patronatus proximum gradum secundum fundationem huius patronatus obtinebat. Sequens enim hac præsensatio utilis, expurgat fermentum & vitium præcedentis, si modo debito tempore facta est. Nihil enim vetat beneficii acquirendi plures titulos accumulari posse, c. post electionem vers. Quoniam De concess. præben. Bellanera decis. 661. ex quibus unum utilem & efficacem esse sufficit.

5 Et quamvis proponatur, quoddam Opponens ex posteriore hac præsensatione realiter instituenti non sit præsensatus; nec ipse ex illa literas proclamatorias, neque Canonicam institutionem, & sic neque possessionem huius Capellaniam obtinuerit, c. 1. de regul. iur. lib. 6. nihilominus quoad causam possessionis (de qua sola hic agitur) & possessionem acquirendam & continuandam sufficit, quod licet ex inutili titulo possessio acquisita sit) utilis & validus titulus superveniat, quia superveniens ad continuationem possessionis etiam sine novâ apprehensione sufficit, DD. in l. 3. in princ. De acquir. poss. Angelus in §. fin. Instit. de de usurp. quasi ea, quæ sunt ad conservandum, operentur novam apprehensionem & inductionem, Ioan. Bapt. verretus cons. 1. nu. 8. Vnde scribit Baldus, in l. 2. nu. 57. vers. Sed pone aliquis c. Deservit. & aqua, quod si is, qui non erat Canonicus, diu stetit in Choro, & Capitulo, ut Canonicus, & illi Papa postea contulerit eundem Canonicatum, prosit ipsi superveniens hic titulus, nec requiratur nova institutio seu installatio: quasi ipso iure fiat quidam conversio, & mutatio inutilis tituli ex causa superveniens utilis; tunc potissimum, quando res adhuc est integra, hoc est alicui alteri in eodem beneficio ius non est acquisitum, Cravetta cons. 171. Magister Ioannes nu. 19. vol. 1. Vt in proposito evenisse videtur; si secunda veri, hoc est proximi patroni, præsensatio facta fuit, antequam hic Imperator Papalem provisionem acquisivit. De qua re in individuo videtur extare iuris decisio in casu præsensationis à non vero patrono factæ, confirmata tamen per superveniens præsensationem veri patroni, in c. Cum Bertholdus in fin. De sent. & re iud. Nicol. Everard. Preses cons. 37. Quiddam Dominus Razo post princ. Ita ut cum hic agatur dumtaxat de possessione continuanda & retinenda, & non de causa proprietatis & veri tituli, maiorem indiginem requirentis, potior videatur esse præsensatus, qui in possessione fuit prior, c. Si a sede De præben. lib. 6.

Illud quoque dubitandi iustam occasionem tribuit, quoddam prior illa præsensatio absolute non videatur posse dici nulla. Quamvis enim verum sit, ius præsensationis ex fundatione pertinuisse ad illum, qui ex familia proximus, & senior erat, Alexan. cons. 4. Consideratis nu. 9. vol. 4. Molin. ad consuetud. var. §. 8. Glo. l. i. nu. 6. ita tamen id accipere non videtur, si is quoque intra tempus à Ture

constitutum iure suo usus fuerit; quia non utendo, & illud condemnando, alteri de familia locum fecisse videtur, præf. d. cons. 37. Natta cons. 195. Viso instrum. Sic quoddam in proposito videri possit prior præsensatio ab initio non tam omnino fuisse nulla, quam in suspensio retenta, ex futuro eveniente non sequitur alterius præsensationis à potiore factæ ad utilitatem terti alicujus; & sic extra dubium videatur esse sequens potioris præsensationis eidem factæ, quia magis esse videtur ratificatio, prius factæ, quam nova per se præsensatio ad cassationem prioris. Hæc quidem non pro compertis quoad factum habeo; sed non visis actis dubitare me faciunt, iustamque occasionem differendæ potius, quam recusandæ subscriptionis præbent: quam libenter faciam, si quæ pro dubijs movi, ex Actorum veritate removeantur, vel Actorum copia transmittatur.

De iure patronatus.

S V M M A R I V M.

Ius patronatus contra provisionem Apostolicam.

1. q. Gratia Apostolica ad beneficia an locum habeat si partim sint iuri patronatus laicorum partim Ecclesiasticorum.
2. Ius patronatus mixtum determinatur secundum ea quæ sunt Ecclesiæ utiliora.
3. Patronus Clericus habet sex menses ad præsensandum, laicus quatuor.
5. Rota Romana de provisionibus an standum sit.

CONSILIVM CCCCLXIX.

A PARTI iuris est, quascunque gratias Apostolicas, reservationis, expectativas, & provisiones non extendi ad beneficia, quæ sunt de iure patronatus laicorum, ex fundatione, dotatione, aut constructione, c. Cum dilectus de iure patron. can. Decernimus xvi. q. 1. (quale est, de quo à consulentibus queritur) idque etiam Regulis Cancellariæ Iulij Papæ Tertij cautum reperitur: licet secus sit de ijs, quæ spectant ad ius patronatus clericorum, c. unico in fine iuncta Gloss. fin. De iure patron. lib. 6.

Quid autem futurum, si mixtum ius patronatus pertineat ad clericos, & laicos? An ius patronatus laicum, an contra ecclesiasticum censetur? Variè sentiunt Doctores, nec satis conveniunt. Sunt qui indistincte existimant censendum Ecclesiasticum, per tex. in c. unico vers. Ecclesiasticus & ibi Gloss. De iure patron. lib. 6. his rationibus; quoddam dignius ad se trahat minus dignum, c. Quid in dubijs iuncta ibi Gloss. De consecrat. Eccles. vel altaris; tum quoddam prærogativa unius eorum, qui in communionem veniunt, alteri debeat prodelle, l. Si commune d. quemad. serv. amitt. Quoniam igitur iura Ecclesiastica multis modis superant laicalia, utilius erit dicere, mixtum hoc ius non à iure laico, sed Ecclesiastico, seu clericali denominationem habere. Quam sententiam tradunt, sequuntur, & probant post Glossam in d. c. unico, Fredericus de Senis, consil. seu quasi. 65. incip. infra script. vers. sexto dubitatio, & Rochus de Curte, in suo tract. de iure patron. ad verb. primo. Quinimò hoc amplius tradit

tradit Rochus, ius patronatus commune uni Ecclesiastico cum pluribus laicis censendum esse potius Ecclesiasticum, quam laicum, per rationes eo loco per eum adductas. Alij planè contrarium definiunt, huiusmodi ius patronatus, quod mixtum ad clericos & laicos pertinet, potius censerī laicum, quā Ecclesiasticum, ne mixtura clerici privet laicos iure suo, *Panor. in c. fin. de iure patron.* *

2. Quas controversias ita conciliat Felinus, in tract. Quando litera Apostolica patroni Eccles. noceant, in nona ampliat, ut quā parte prerogativa clerici respicit commodum, utilitatem, & honorem beneficij, eatenus propter commodum, potius censeatur ius patronatus Ecclesiasticum: veluti ius presentandi durare à die vacationis longiore tempore, continet Ecclesie utilitatem, ut inde laici videntes non facili sibi praecludi viam ad presentandum, invitentur magis ad fundaciones, dotaciones, & construcciones Ecclesiarum & beneficiorum. *

3. Cum itaque clerico patrono ad presentandum dentur sex menses, laico non nisi quatuor, *c. unico §. fin. de iure patron.* si hoc ius conjunctum ad laicos & clericos pertineat, laicus propter clericum sex mensium tempus habebit ad presentandum, *Gloss. in d. §. fin.* Contra verò adinvicem patronis ius presentandi, aut illud turbare, avertit laicorum animos ab huiusmodi beneficiorum fundationibus, *Gloss. in c. cum dilectus de iure patron. Felin. in d. suo tract. post princ.* Et è diverso quā parte facilius turbari potest presentatio clerici, quā laici, si ius patronatus conjunctum ad laicos & clericos pertineat, laicale potius esse dicemus: id enim & patronis & Ecclesie favorabilius & utilius est. Quam quidem conciliationem omnino probat, & sequitur Rochus de Curte, loco supra citato; adferens in illius confirmationem illud pronuntiatum Panormitani, in c. Super questionum §. si verò in 2. col. De off. deleg. quod mixtum seu compositum eius speciei naturam sequitur, quæ minus membris simplicibus ex iure derogat. *

4. Ex qua consideratione sequitur, quod gratia Apostolice ad beneficia vacatura concessa, non extendatur ad ea beneficia, quæ sunt mixtum laicorum & clericorum: per huiusmodi enim gratias admittitur saltem pro ea vice patronis ius presentandi: quod odiosum est, & avocatorium à fundatione beneficiorum: quia huiusmodi beneficia quoad hoc censentur potius laicalia, quibus sine expressione, & non nisi ex plenitudine potestatis Apostolice derogari potest, latè Felin. in d. tract. Ant. de Butrio in c. Dilectus De off. legati, *Gloss. in c. Nobis & d. c. cum dilectus de iure patron. Panor. in d. c. fin. de iure patron. Geminian. in d. c. unico in fine.*

His tamen rationibus non obstantibus extat decisio Rotæ Romanæ, decis. 46. aliàs est 269. Notandum quod papa conferendo sit. de concess. praben. in antiq. quæ per rationes pro priore sententia adductas, habet apertè huiusmodi beneficia pro parte ad laicum, & pro parte ad clericum pertinentia, cadere sub gratijs & reservationibus Apostolicis. *

5. Cui quidem decisioni an standum sit, propter summam Auditorum Rotæ auctoritatem; quam communi etiam omnium scribentium opinioni, in in ijs, quæ aperto iure non sunt definita, & quorum definitio non nisi argumentationibus confirmari potest. Wamel. Tom. II.

citur, præferendam quidam volunt, *Ioan. Bapt. Ferrer. consil. 132. nu. 4.* prout latè deducit Ludovicus Gomes, in proemio communis. ad reg. Cancellar. q. 2. an potius ijs, quæ ex auctoritate Felini sequenda putat Rochus de Curte, loco sup. citato, ambiguum & perplexum admodum est. Aequiorem certè puto Felini sententiam, quodque gratia Apostolica, privilegia, aliaque similia, quaterus alium quā concedentem respiciunt, strictiorem interpretationem postulent, ut quā minimum alijs, & potissimum laicis obfint, *Paul. Paris. consil. 35. Ad veram resolutionem vol. 4.* Idque eo magis sequi lubet; quòd videam Felinum, qui suo tempore Rotæ Auditor fuit, contrarium sequi; prout etiam sequitur Guilielmus Calsadurus, in sua decis. sub tit. de iure patron. decis. ult. in fine. Cæterum quia in facti specie propositum non reperiò, ius patronatus simul pertinere ad laicum & clericum, non possunt, quæ hætenus dicta sunt ei accommodari: cum enim ex literis erectionis constet hæredes fundatoris tamquam laicos habere duas presentaciones successivè, & tertiam ipsam Curatum, evenit, ut secundum simplicia membra definienda sit hæc causa: hoc est, ut si quo tempore beneficium vacat, ordo presentandi est dictorum hæredum, non possit vigore gratia Apostolice idem beneficium acceptari, *d. c. cum dilectus*: secus si tempore vacationis & acceptionis ordo sit apud Curatum, cuius juri liberius Pontifex in genere potest derogare, quòd ius patronatus habeat ratione Ecclesie, cui præest; sed non ita dictis hæredibus, qui illud habent ex dotatione, non ex consuetudine, vel præscriptione aut privilegio.

De Iure patronatus.

SUMMARY M.

Iuris patronatus confiscatio.

1. Ius patronatus Ecclesiasticum an cadat in confiscationem.
2. Maiestatis læsæ crimen an incurramt clerici.
3. Clerici quomodo sint subditi Principi laico.
4. Rebellionis tempore an subditi patriam rebelantem relinquere debeant.
5. 11. Metus amittendorum bonorum maximus est, & à rebellionē excusat.
6. Clericus Principi violans iuramentum degradandus.
7. Papa assertioni standum, sed an & quando Principi.
8. Penam sine declaratoria sententia non infligi.
9. Clericus à laico etiam in crimine læsæ Maiestatis indicari non debet.
10. Principem suum abiurantes subditi quando sint puniendi.
12. Indulgentia Principi plena prodest etiam clericis ad recuperandis ipsorum beneficia Ecclesiastica.

CONSILIVM CCCCLXXX.

MAGISTRATVS oppidi Bruxellensis ab immemoriali tempore habuit ius patronatus in tribus Canonicatibus & præbendis collegiatae Ecclesie de Anderlecht, extra & prope idem oppidum. Horum Canonicatus unum ex dicta Magistratus presentacione obtinuit